

15669
I | A244/IV/79 | P

Ossędowski Stanislai: Quaestio de sponsa-libus.

2583 Prawo

QVÆSTIO
DE
SPONSALIBVS.

Ad c. Præterea, ext: de Sponſalibus, Iuncta L. 3. Cod: eod:

A

M. STANISLAO OSSĘDOWSKI,

Conturbernij Iurisperitorum Seniore, pro Collegio DD. Iurisconſultorum obtinendo,

Publicè in Almâ Academiâ Crac: in Lectorio DD. Iurisconſultorum ad diſputandum

PROPOSITA.

Anno reparatæ Salutis M. DC. XXXXVI.
Menſe Aprili Die 19 Hora. 7.

In Officina Typis Martini Filipowski.

34. V. 78.


IN STEMMA
Almæ Academiæ Cracouienſis.



Sceptris, Craciaci, floreſcit Fama, Lycei.
Muſas, Sceptra beant, Diue Jagello, tua.
Diue Jagello, tuis Sceptris, inſertus Olympo,
CANTIVS *eximius, mente beatus ouat.*

BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS

15669 I



QVÆSTIO DE SPONSALIBVS.

Ad c. Præterea, ext: De Sponſalibus. Iuncta L. 3 Cod: eod:

Vtrum Sponſalia de futuro, non tantum nudè contracta, ſed etiam interpoſitis arrhis vel iuramento firmata, poſt mutuo ſuperueniente contrahentium diſſenſu, abſq; vllo alio legitimo impedimento, diſſoluantur: ita vt poſsit vterq; contrahentium ad alia tranſire vota, necne?

CONCLVSIO I.

Sponſalia nullo interueniente alio pacto, árrhis aut iuramento, inducunt ex ſe obligationem vltrò citròq; ad contrahendum Matrimonium, ſicut is qui promiſit vendere aut locare.

COROLLARIA.

I. *Vt alijs cōtractibus ita & Sponſalibus, apponi poteſt Conditio, tempus, Iuramentum: Conditionata tamen non obligant priuſquam extiterit conditio.*

II. *Poſſunt verò ita contrahi Sponſalia, vt ab vnâ parte ſint conditionata, ab alterâ pura atq; ita reſpectu vnius ſit obligatio ſuſpenſa, reſpectu alterius perfecta & abſoluta.*

III. *Arrhæ licet plerumq; interueniant vt eas lucretur ſeruans contractum, amittat vel reſtituat, reſiliens temerè ab eo: tamen poena nullo modo apponi poteſt contractui Sponſalitio.*

IV. *Licet in Sponſalibus & alijs contractibus multæ inſint & ſubintelligantur Conditiones tacitæ, non efficiunt tamen contractum conditionatum, niſi conditio expreſſa fuerit.*

V. *In-*

V. *Iuramentum quoties apponitur Sponsalibus, longè firmiorem reddit contractum: ita tamen vt is nihilominus mutuo dissensu possit dissolui.*

CONCLVSIO II.

Quamuis inter Sponsos expressè conuenerit ne possint recedere à datâ sibi vtrinq; fide: hoc tamen non impedit quominùs accedente mutuo eorundem dissensu recedere valeant à cõtractu.

COROLLARIA.

I. *Quantumuis vnus dissentiat, nisi alter quoq; contrahentium id approbet, non extinguitur obligatio ad contrahendum Matrimonium.*

II. *Superueniente tamen legitimo aliquo impedimento, licet vterq; fidem datam seruare velit, non poterunt contrahere secum Matrimonium.*

III. *Si vnus tantùm è Sponsis resiliat à contractu, non censentur dissolui Sponsalia, potest tamen & alter recedere à contractu quamdiu ille qui dissentit non mutat voluntatem.*

IV. *Sed si dissentiens, mutet postea voluntatem, an-*

tequam alter diſſenſerit, manebit ſic obligatus non minùs ac ſi ille nunquam diſſenſiſset.

V. *Poſt diſſoluta Sponſalia per mutuum diſſenſum, non poteſt Sponſus vel Sponſa contrahere Matrimonium cum Conſanguinea vel Conſanguineo alterius Sponſorum, propter impedimentum publicæ honeſtatis.*

CONCLVSIO III.

Poſt ſoluta per mutuum diſſenſum Sponſalia: poteſt vterq; contrahentium ad alia tranſire vota: dummodo nullum canonicum obſtet impedimentum.

COROLLARIA.

I. *Quando verba de futuro quibus contrahunt Sponſi denotant executionem non verò principium actûs, tum contractus eiuſmodi non poteſt diſſolui etiam mutuo diſſenſu.*

II. *Si alter diſſentientium vel vterq; vi vel metu faciat qui cadat in conſtantem, non cenſentur diſſolui Sponſalia: vti neque contrahi per conſenſum vi aut metu extortum.*

III. *Vti per verba de præſenti non ſemper inducitur*

Matrimo

Matrimonium, vt potè si alter contrahentium vel vterq; non habeat ætatem legitimam, ita & per verba de futuro, interdum contrahitur Matrimonium, & tunc dissensui ampliùs non erit locus.

IV. *Si circa Sponsalia præfigatur certum tempus contrahendi Matrimonij, per lapsum eiusmodi temporis, non interueniente legitimo impedimento, dissoluuntur Sponsalia.*

V. *Impuberes qui contraxerunt Sponsalia, non possunt ante pubertatis annos mutuo dissensu ea dissoluere; Quod si alter eorū post annos pubertatis dissentiat, soluuntur Sponsalia, etiam inuito altero vel impubere adhuc existente.*

D. O. M.

Virgini & Matri Castissimæ, Cælorum Vniuersæ Curiæ, Gloria & gratia.





Sub Felicissimis Auspicijs

Magnifici & Clarissimi Domini,

D. LAVRENTII
SMIESZKOWIC,
Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, ac Professoris, Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Procancellarij, ac Generalis Vigilantissimi
RECTORIS.



BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS

XXIV. 5. 32